

46. *Idem*, lib. 24 Quæstionum.

Si quis alienam rem vendiderit, et medio tempore heres domino rei extiterit, cogetur implere venditionem.

47. *Idem*, lib. 6 Responsorum.

Lucius Titius, accepta pecunia ad materias vendendas sub pœna certa, ita ut si non integras repræstaverit intra statuta tempora, pœna conveniatur, partim datis materiis, decessit: cum igitur testator in pœnam commiserit, neque heres ejus reliquam materiam exhibuerit, an et in pœnam, et in usuras conveniri possit: præsertim cum emptor mutuatus pecuniam, usuras gravissimas expendit? Paulus respondit, ex contractu, de quo queritur, etiam heredem venditoris in pœnam conveniri posse, in actione quoque ex empto, officio judicis, post moram intercedentem, usurarum pretii rationem haberi oportere.

48. *SCEVOLE*, lib. 2 Responsorum.

Titius heres Sempronii fundum Septicio vendidit ita: *Fundus Sempronianus, quidquid Sempronii juris fuit, erit tibi emptus tot nummis*: vacuumque possessionem tradidit, neque fines ejus demonstravit: queritur, an empti iudicio cogendus sit ostendere ex instrumentis hereditariis, quid juris defunctus habuerit, et fines ostendere? Respondi, id ex ea scriptura præstandum, quod sensisse intelliguntur: quod si non appareat, debere venditorem et instrumenta⁴⁷ fundi, et fines ostendere: hoc etenim contractui bonæ fidei consonat.

49. *HERMOGENIANUS*, lib. 2 juris Epitomarum.

Qui per collusionem imaginarium colonum, circumvenienti emptoris causa, subposuit, ex empto tenetur, nec defenditur, si, quo facilius excogitata fraus occultetur, colonum et quinquenni pensiones in fidem suam recipiat. — § 1. Pretii sorte, licet post moram, soluta, usurae peti non possunt, cum hæc non sint in obligatione, sed officio⁴⁸ judicis præstantur.

50. *LABEO*, lib. 4 posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

Bona fides non patitur, [ut,] cum emptor alicujus legis beneficio pecuniam rei venditæ debere desisset, antequam res ei tradatur, venditor tradere compelleretur et re sua carere: possessione autem tradita futurum est, ut rem venditor æque amitteret, utpote cum petenti eam rem emptor exceptionem rei venditæ et traditæ objiciat, ut perinde habeatur, ac si petitor ei neque vendidisset, neque tradidisset.

51. *Idem*, lib. 8 posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

Si et per emptorem et venditorem mora⁴⁹ fuisset, quominus vinum præberetur et traderetur, perinde esse ait, quasi si per emptorem solum stetit: non enim potest videri mora per venditorem emptori facta esse, ipso moram faciente emptore. — § 1. Quod si fundum emisti ea lege, uti des pecuniam kalendis Juliis, etsi ipsis kalendis per venditorem esset factum quo minus pecunia ei solveretur, deinde per te staret, quo minus solveres: uti posse adversus te lege sua venditorem dixi: quia in vendendo hoc ageretur, ut quandoque per emptorem factum sit, quo minus pecuniam solvat, legis pœnam patiatur: hoc ita verum puto, nisi si quid in ea re venditor dolo fecit.

52. *SCEVOLE*, lib. 7 Digestorum.

Creditor fundum sibi obligatum, cujus chirographa tributorum a debitor retro solutorum apud se deposita habebat, vendidit Mævio ea lege, ut si quid tributorum nomine debitum esset, emptor solveret: idem fundus ob causam eorum tributorum quæ jam soluta erant, a conductore saltus, in quo idem fundus est, venit: eumque idem Mævius emit, et pretium solvit: quaesitum est, an empti iudicio, vel aliqua actione, emptor a venditore consequi possit, ut solutionum superscripturarum chirographa [ei] dentur? Respondit, posse emptorem empti iudicio consequi, ut instrumenta de quibus quaereretur, exhibeantur⁵⁰. — § 1. Prædium æstimatum⁵¹, in dotem a patre filiae suæ nomine datum, obligatum creditori deprehenditur: quaesitum est, an filius, qui hereditatem patris retinet, cum ab ea se filia abstinuisset, dote contenta, actione ex empto teneatur, ut a creditore luere, et marito liberum⁵² præstaret? Respondit, teneri. — § 2. Inter venditorem et emptorem militiæ ita convenit, ut salariam quod debeatur ab illa persona emptori cederet, Quaesitum est, emptor militiæ quam quantitatem a quo exigere [debet], et quid ex ejusmodi pacto venditor emptori præstare debeat? Respondit, venditorem actiones extraordinarias eo nomine, quas haberet, præstare debere. — § 3. Ante domum mari junctam, molibus jactis

47. L. 52, in fin. pr. infr. eod. — 48. L. 54, in pr. infr. locati. — 49. L. 17, supr. de peric. et commodo rei vend. — 50. L. 48, in fin. supr. h. t. l. 5, supr. famil. ercisc. — 51. L. 16, infr. l. 1, C. de jure dot. l. 1, C. de pact. — 52. L. 41, in pr. supr. de contrah. empt. l. 5, C. de evict. — 53. *Fac.* L. 30, in pr. infr. de acquir. rei. domini. — 54. L. 58, in pr. infr. locati. — 55. L. 26, supr. eorum. dicit. l. 5, § 1, supr. de servo corrupt. — 56. *Fac.* d. l. 5, § 2. — 57. L. 27, pr. h. t. — 58. L. 60, supr. de contrah. empt. — 59. d. l. 27, supr. h. t. —

ripam constituit et uti ab eo possessa domus fuit, Gaio Seio vendidit: quero, an ripa, quæ ab auctore domui conjuncta erat, ad emptorem quoque jure emptionis pertineat? Respondit, eodem jure fore venditam domum, quo⁵³ fuisset prius, quam veniret.

53. *LABEO*, lib. 4 Pithanon.

Si mercedem⁵⁴ insulæ accessuram [esse] emptori dictum est, quanti insula locata est, tantum emptori præstetur. Paulus: Imo si insulam totam uno nomine locaveris et amplioris conductor locaverit, et in vendenda insula mercedem emptori cessuram esse dixeris, id accedet, quod tibi totius insulæ conductor debebit. — § 1. Si eum fundum vendidisti, in quo sepulchrum habuisti, nec nominatim tibi sepulchrum excepisti, parum habes eo nomine cautum. Paulus: Minime, si modo in sepulchrum iter publicum transit. — § 2. Si habitatoribus habitatio lege venditionis recepta est, omnibus in ea habitantibus, præter dominum, recte recepta habitatio est. Paulus: Imo, si cui in ea insula quam venderis, gratis habitacionem dederis, et sic receptoris, habitatoribus, aut quam quisque diem conductum habet, parum caveris: nominatim enim de his recipi oportuit: itaque eos habitatores emptor insulæ habitacione impune prohibebit.

54. *Idem*, lib. 2 Pithanon.

Si servus quem vendideras, jussu tuo aliquid fecit, et ex eo crus⁵⁵ fregit, ita demum ea res tuo periculo non est, si id imperasti quod solebat ante venditionem facere, et si id imperasti quod etiam non vendito servo imperaturus eras. Paulus: Minime: nam si periculosam rem ante venditionem facere solitus est, culpa tua id factum esse videbitur: puta enim eum fuisse servum, qui per catadromum descendere⁵⁶ aut in cloacam dimitti solitus esset. Idem juris erit, si eam rem imperare verbis fueris, quam prudens et diligens paterfamilias imperaturus ei servo non fuerit. Quid, si hoc exceptum fuerit? Tamen potest ei servo novam rem imperare, quam imperaturus non fuisset, si (non) venisset: veluti si ei imperasti, ut ad emptorem iret, qui peregre esset: nam certe ea res tuo periculo esse non debet: itaque tota ea res ad dolum malum duntaxat, et culpam venditoris, dirigenda est. — § 1. Si dolia⁵⁷ octoginta accedere fundo, quæ infossa essent, dictum erit, et plura erunt, quam ad eum numerum, dabit emptori ex omnibus, quæ⁵⁸ vult, dum⁵⁹ integra det: si sola octoginta sunt, qualiacunque emptorem sequentur, nec pro non integris quocunque ei venditor præstabit.

55. *POMPONIUS*, lib. 10 Epistolarum.

Si servus, qui emeretur vel promitteretur, in⁶⁰ hostium potestate sit, Octavenus magis putabat, valere emptionem et stipulationem: quia inter ementem et vendentem esset commercium: potius enim difficultatem in præstando eo inesse, quam⁶¹ [in] natura: etiam si officio judicis sustinenda esset ejus præstatio, donec præstari possit.

TIT. II.

LOCATI¹ CONDUCTI.

1. *PAULUS*, lib. 34, ad Edictum.

Locatio et conductio, cum naturalis sit, et omnium² gentium, non verbis, sed consensu³ contrahitur: sicut emptio et venditio.

2. *GAIUS*, lib. 2 Rerum cottidianarum.

Locatio et conductio proxima⁴ est emptioni et venditioni: hisdemque juris regulis constituit. Nam ut emptio et venditio [ita] contrahitur, si de pretio⁵ convenierit: sic et locatio et conductio contrahi intelligitur, si de mercede convenierit. — § 1. Adeo autem familiaritatem aliquam habere videntur emptio et venditio, item locatio et conductio, ut in quibusdam queri soleat⁶, utrum emptio et venditio sit, an locatio et conductio: ut ecce, si⁷ cum aurifice [mihi] convenierit, ut is ex auro suo annulos mihi faceret certi ponderis, ceræque formæ, et acceperit [verbi gratia] trecenta: utrum emptio et venditio sit, an locatio et conductio? Sed placet, unum esse negotium, et magis emptionem et venditionem esse. Quod si ego aurum dederò, mercede pro opera constituta, dubium non est, quin locatio et conductio sit.

3. *POMPONIUS*, lib. 9, ad Sabinum.

Cum fundus locetur, et æstimatum instrumentum colonus accipiat,

60. L. 9, l. 98, l. 104, § 2, infr. de legat. 1. l. 105, infr. de verb. oblig. — 61. *Fac.* L. 137, § 4, infr. d. l.

1. Tit. II. — 4. Lib. 4, C. 65; Lib. 5, Inst. 25, adde Lib. 11, C. 70, 71. — 2. L. 5, supr. de just. et jure. — 3. L. 2, infr. de oblig. et act. — 4. In pr. Inst. de locacione. — 5. In pr. Inst. de empt. — 6. L. 65, supr. de contrah. empt. — 7. § 4, Inst. de locacione.

Proculus ait id agi, ut instrumentum emptum habeat colonus: sicuti⁸ fiet, cum quid æstimatum in dotem daretur.

4. *Idem*, lib. 16, ad Sabinum.

Locatio precarive rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset, dedisse, vellet, morte⁹ ejus qui locavit, tollitur.

5. *ULPIANUS*, lib. 28, ad Edictum.

Si tibi habitacionem locavero, mox pensionem remittam, ex locato et conducto agendum erit.

6. *GAIUS*, lib. 10, ad Edictum provinciale.

Is qui rem conduxerit, non cogitur restituere id, quod rei nomine furti actione consecutus est.

7. *PAULUS*, lib. 32, ad Edictum.

Si tibi alienam insulam locavero quinquaginta, tuque eandem sexaginta Titio locaveris, et Titius a domino prohibitus fuerit habitare, agentem te ex conducto, sexaginta consequi debere placet: quia ipse Titio tenearis in sexaginta.

8. *TRYPHONINUS*, lib. 9 Disputationum.

Nos videamus, ne non sexaginta præstanda, nec quinquaginta sint, sed quanti interest perfrui conductio: tantundemque consequatur medium, quantum præstare debeat ei qui a se conduxit: quoniam emolumentum conductio, ad comparationem uberioris mercedis computatum, majorem efficit condemnationem: et tamen primus locator reputationem habebit quinquaginta, quæ ab illo perciperet, si dominus insulæ habitare novissimum conductorem non vetuisset. Quo jure utimur.

9. *ULPIANUS*, lib. 32, ad Edictum.

Si quis domum bona fide emptam vel fundum locaverit mihi, isque sit evictus sine dolo malo culpaque ejus, Pomponius ait, nihilominus eum teneri ex conducto ei qui conduxit: ut ei præstetur, frui quod conduxit licere. Plane, si dominus non patitur, et locator paratus sit¹⁰ aliam habitacionem non minus commodam præstare, æquissimum esse ait, absolvi locatorem. — § 1. Hic subjungi potest, quod Marcellus lib. 6 Digestorum scripsit: si fructuarius locaverit fundum in quinquennium, et decesserit, heredem ejus non teneri, ut frui præstet: non magis quam insula exusta teneretur locator conductori. Sed an ex locato teneatur conductor, ut pro rata temporis, quo fructus est, pensionem præstet, Marcellus querit: quemadmodum præstaret, si fructuarii servi operas conduxisset vel habitacionem? Et magis admittit, teneri eum: et est æquissimum. Idem querit, si sumptus fecit in fundum, quasi quinquennium fructurus, an recipiat? Et ait, non recepturum: quia, hoc evenire posse prospicere¹¹ debuit. Quid tamen, si non quasi fructuarius ei locavit, sed [si] quasi fundi dominus? Videlicet tenebitur: decepti enim conductorem: et ita imperator Antoninus cum divo Severo rescripsit. In exustis quoque ædibus, ejus temporis, quo ædificium stetit, mercedem præstandam rescriperunt. — § 2. Julianus lib. 15 Digestorum dicit: Si quis fundum locaverit, ut etiam si quid vi majore accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum esse. — § 3. Si colonis prædiorum lege locacionis, ut innocentes¹² ignem habeant, denunciatum sit, siquidem fortuitus casus incendii causam intulerit, non præstabit periculum locator: si vero culpa locatoris, quam præstare necesse est, damnum fecerit, tenebitur. — § 4. Imperator Antoninus cum patre, cum grex esset abactus, quem quis conduxerat, ita rescripsit: Si capras latrones circa tuam fraudem abegisse probari potest, iudicio locati casum præstare non cogaris: atque temporis, quod insecutum est, mercedes ut indubitas reciperabis. — § 5. Celsus etiam imperitiam¹³ culpæ adnumerandam libro 8 Digestorum scripsit: si quis vitulos pascendos vel sarcindum quid poliendumve conduxit, culpam eum præstare debere: et quod imperitia peccavit, culpam esse: quippe ut artifex [inquit] conduxit. — § 6. Si alienam domum mihi locaveris, eaque mihi¹⁴ legata vel donata sit, non teneri me tibi ex locato ob pensionem. Sed de tempore præterito videamus, si quid ante legati diem pensionis debetur? Et puto solvendum.

10. *JULIANUS*, lib. 3, ad Ferocem.

Et ego ex conducto recte agam, vel in hoc, ut me liberes.

11. *ULPIANUS*, lib. 32, ad Edictum.

Videamus, an et servorum culpam et quoscunque induxerit, præstare onductor debeat? et quatenus præstat, utrum ut servos noxæ dedat, an

8. L. 10, § 5, infr. de jure dot. — 9. *Adde* L. ult. infr. qui sine manumissis. — 10. L. 60, in fin. pr. infr. h. t. — 11. L. 36, § 7, supr. ex quib. caus. major. — 12. L. 11, § 1, infr. h. t. — 13. L. 159, infr. de reg. jur. — 14. L. 21, infr. de usuro. et usucap. l. 45, in pr. infr. de reg. jur. — 15. L. 5, in pr. infr. de publican. — 16. L. 9, § 3, supr. h. t. — 17. *Fac.* L. 25, C. eod. — 18. L. 10, § 1, in pr. supr. de lege Rhod. — 19. L. 5, in fin. supr. ad leg. Aquil. — 20. L. 9, § 5, supr. h. t. l. 1. 27, § 29, supr. ad leg. Aquil. — 21. L. 47, infr. h. t. l. 9, in pr. infr. de duob. reis coactis. — 22. L. 16, C. h. t.

vero suo nomine teneatur? et adversus eos quos induxerit, utrum præstabit tantum actiones, an quasi ob propriam culpam tenebitur? Mihi ita placet, ut culpam etiam eorum quos¹⁵ induxit, præstet suo nomine, etsi nihil convenit: si tamen culpam in inducendis admittit, quod tales habuerit, vel suos, vel hospites: et ita Pomponius libro sexagesimo [tertio] ad Edictum probat. — § 1. Si hoc in locacione convenit, ignem ne habeto, et habuit, tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium, quia non debuit ignem habere: aliud est enim ignem innocenter¹⁶ habere: permittit enim habere, sed innocuum ignem. — § 2. Item prospicere debet conductor, ne aliquo vel jus rei, vel corpus deterius faciat vel fieri patiatur. — § 3. Qui vinum de Campania transportandum conduxisset, deinde, mota a quodam controversia, signatum suo et alterius sigillo in apothecam deposuisset, ex locato tenetur, ut locatori possessionem vini sine controversia reddat¹⁷, nisi culpa conductor caret. — § 4. Inter conductorem et locatorem convenerat, ne in villa urbana fœnum componeretur: compositus: deinde servus igne illato [se occidit]. Ait Labeo, teneri conductorem ex locato: quia ipse causam præbuit, inferendo contra conductionem.

12. *HERMOGENIANUS*, lib. 2 juris Epitomarum.

Sed etsi quilibet extraneus ignem iniecerit, damni locati habebitur ratio.

13. *ULPIANUS*, lib. 32, ad Edictum.

Item queritur, si cisiarius, [id est, carrucarius,] dum cæteros transire contendit, cisiium everit, et servum quassavit vel occidit? Puto ex locato esse in eum actionem: temperare enim debuit: sed et utilis Aquilia [ei] dabitur. — § 1. Si navicularius onus Minturnas vehendum conduxit, et, cum flumen Minturnense navis ea subire non posset, in aliam navem merces transtulerit, eaque navis in ostio fluminis perierit, tenetur primus navicularius: Labeo, si culpa caret, non teneri ait: cæterum si vel invito domino fecit, vel quo non debuit tempore, aut si minus idoneæ navi imposuit¹⁸, tunc ex locato agendum. — § 2. Si magister navis sine gubernatore in flumen navem immiserit, et tempestate orta temperare non potuerit, et navem perdidit, vectores habebunt adversus eum ex locato actionem. — § 3. Si quis servum docendum conduxerit, eumque duxerit peregre, et aut ab hostibus captus sit, aut perierit, ex locato esse actionem placuit: si modo non sic conduxit, ut et peregre duceret. — § 4. Item Julianus libro octogesimo sexto Digestorum scripsit, si sutor¹⁹ puero parum bene facienti forma calcei tam vehementer cervicem percusserit, ut ei oculus effunderetur, ex locato esse actionem patri ejus: quamvis enim magistris levis castigatio concessa sit, tamen hunc modum non tenuisse: sed et de Aquilia supra diximus. Injuriarum autem actionem competere, Julianus negat: quia non injuria faciendi causa hoc fecerit, sed præcipiendi. — § 5. Si gemma includenda aut insculpenda data sit, eaque fracta sit, si quidem vitio materiae factum sit, non erit ex locato actio: si imperitia²⁰ facientis, erit. Huic sententiæ addendum est, nisi periculum quoque in se artifex receperat: tunc enim, etsi vitio materiae id evenit, erit ex locato actio. — § 6. S. fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint, ex locato tenetur: quia debuit ab hac re cavere: et si pallium fullo permutaverit, et alii alterius dederit, ex locato actione tenebitur: etiamsi ignarus fecerit. — § 7. Exercitu veniente migravit conductor: deinde hospitio milites fenestras, et cætera sustulerunt: si domino non denunciavit, et migravit, ex locato tenebitur: Labeo autem si resistere potuit, et non resistit, teneri ait: quæ sententia vera est: sed [et] si denunciare non potuit, non puto eum teneri. — § 8. Si quis mensuras conduxit, easque magistratus frangi jusserit, si quidem iniquæ fuerunt, Sabinus distinguit, utrum scit conductor, an non: si scit, esse ex locato actionem: si minus, non: quod si æque sunt, ita demum eum teneri, si culpa ejus id fecit ædilis: et ita Labeo et Mela scribunt. — § 9. Duo²¹ rei locacionis in solidum esse possunt. — § 10. Si lege operis locandi comprehensum esset, ut, si ad diem effectum non esset, relocare id liceret, non alias prior conductor ex locato tenebitur, quam si eadem lege relocatum esset: nec ante relocari id potest, quam dies efficiendi præterisset. — § 11. Qui impleto tempore conductionis, remansit²² in conductione, non solum reconduxisse videbitur, sed etiam pignora videntur durare obligata. Sed hoc ita verum est, si non alius pro eo in priore conductione res obligaverat: hujus enim novus consensus erit necessarius. Eadem causa erit, et si reipublicæ prædia locata fuerint. Quod autem diximus, taciturnitate utriusque partis colonum reconduxisse vi-

in pr. supr. de lege Rhod. — 19. L. 5, in fin. supr. ad leg. Aquil. — 20. L. 9, § 5, supr. h. t. l. 1. 27, § 29, supr. ad leg. Aquil. — 21. L. 47, infr. h. t. l. 9, in pr. infr. de duob. reis coactis. — 22. L. 16, C. h. t.

deri, ita accipiendum est; ut in ipso anno quo tacerunt, videantur eandem locationem renovasse, non etiam in sequentibus annis: et si iustum forte ab initio fuerat conductioni prestitutum: sed et si secundo quoque anno post finitum lustrum nihil fuerit contrarium actum, eandem videri locationem in illo anno permansisse: hoc enim ipso quo tacerant, consensisse videntur, et hoc deinceps in unoquoque anno observandum est. In urbanis autem prædiis alio jure utimur: ut, prout quisque habitaverit, ita [et] obligetur: nisi in scriptis certum tempus conductione comprehensum est.

14. *Idem*, lib. 71, ad Edictum.

Qui ad certum tempus conducit, finito quoque tempore colonus est: intelligitur enim dominus, cum patitur colonum in fundo esse, ex integro locare: et hujusmodi contractus neque verba, neque scripturam utique desiderant, sed nudo consensu convalescunt: et ideo si interim dominus furere cœperit vel decesserit, fieri non posse²³ Marcellus ait, ut locatio redintegretur: et est hoc verum.

15. *Idem*, lib. 52, ad Edictum.

Ex conducto²⁴ actio conductori datur. — § 1. Competit autem ex his causis fere, utputa si re, quam conduxit, frui ei non liceat: forte quia possessio ei aut totius agri aut partis non præstatur, aut villa non reficitur vel stabulum, vel ubi greges ejus stare oporteat: vel, si quid in lege conductionis convenit, si hoc non præstatur, ex conducto agitur. — § 2. Si vis tempestatis calamitosa contigerit, an locator conductori aliquid præstare debeat, videamus? Servius omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere ait, utputa fluminum, graculorum, sturnorum, et si quid simile acciderit: aut si incursus hostium fiat: si quo tamen vitia ex ipsa re oriantur, hæc damno coloni esse: veluti si vinum coacerit: si raucis, aut herbis segetes corrupte sint: sed et si labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse, ne supra damnum seminis [amissum] mercedis agri præstare cogatur: sed et si uredo fructum oleæ corruerit, aut solis fervore non adueto id acciderit, damnum domini futurum: si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse: idemque dicendum, si exercitus præteriens per lasciviam aliquid abstulit: sed [et] si ager terræ motu ita corruerit, ut nusquam sit, damno domini esse: oportere enim agrum præstari conductori, ut frui possit. — § 3. Cum quidam incendium fundi allegaret, et remissionem desideraret, ita ei rescriptum est: *Si prædium coluisti, propter casum incendii repentini non immerito subveniendum tibi est.* — § 4. Papinianus lib. 4 Responsorum ait: Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigit²⁵ ubertas, nihil obesse domino remissionem: sed integram pensionem, etiam ejus anni quo remisit, exigendam. Hoc idem et in vectigalis damno respondit. Sed [et] si verbo *donationis* dominus ob sterilitatem anni remisit, idem erit dicendum: quasi non sit donatio, sed transactio. Quid tamen, si novissimus erat annus sterilis, in quo ei remisit? Verius dicitur, etsi superiores uberes fuerint, et scilicet locator, non debere eum ad computationem vocari. — § 5. Cum quidam de fructuum exiguitate quereretur, non esse rationem ejus habendam, rescripto divi Antonini continetur. Item alio rescripto ita continetur: *Novam rem desideras, ut propter vetustatem vinearum remissio tibi detur.* — § 6. Item cum quidam nave amissa vecturam, quam pro mutua acceperat, repeteret, rescriptum est ab Antonio Augusto, non immerito procuratorem Cæsaris ab eo vecturam repeteret, cum munere vehendi functus non sit: quod in omnibus personis similiter observandum est. — § 7. Ubicumque tamen remissionis ratio habetur ex causis supra relatis, non id quod sua interest conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata: supra²⁷ denique damnum seminis ad colonum [pertinere] declaratur. — § 8. Plane si forte dominus frui non patitur, vel cum ipse locasset, vel cum alius alienum, vel quasi procurator, vel quasi suum, quod interest præstabitur: et ita Proculus in procuratore respondit. — § 9. Interdum ad hoc ex locato agitur, ut quis locatione liberetur, Julianus lib. 18 Digestorum scripsit, utputa Titio fundum locavi, isque pupillo herede instituto decessit: et cum tutor constituisset abstinere pupillum hereditate, ego fundum pluris locavi: deinde pupillus restitutus est in bona paterna: ex conducto nihil amplius eum consecuturum, quam ut locatione liberetur: mihi enim justa causa fuit locandi:

16. *Julianus*, lib. 15 Digestorum.

Cum eo tempore in pupillum actiones nullæ darentur.

²³ L. 24, C. cod. l. 2, § 1, inf. de oblig. et act.; § 1, Inst. de oblig. ex consensu. — ²⁴ L. 6, in pr. inf. de precario. arg. L. 8, § 2, in fin. inf. de optione legat. — ²⁵ L. 24, in fin. inf. in pr. Inst. h. l. — ²⁶ L. 5, C. h. l. — ²⁷ § 1, vers. sed et si labes. supr. h. l. — ²⁸ L. 2, C. arbit. tutel. — ²⁹ L. 6, § 4, supr. de act. empt. — ³⁰ L. 50, § 1, inf. h. l. — ³¹ L. 10, L. 29, L. 34, C. cod. — ³² L. 4, supr. de offic. assessor. — ³³ § 4, Inst. de empt. vend. — ³⁴ L. 46, inf. h. l.

17. *Ulpianus*, lib. 52, ad Edictum.

Tutelæ tamen cum²⁸ tutore iudicio, inquit, ager, si abstinere non debuit:

18. *Julianus*, lib. 15 Digestorum.

In quo inerit etiam hoc, quod ex conductione fundi lucrum facere potuit.

19. *Ulpianus*, lib. 52, ad Edictum.

Sed adde hoc Juliani sententiæ, ut, si collisi ego cum tutore, ex conducto teneat in id quod pupilli interfuit. — § 1. Si quis doli²⁹ vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest: nec ignorantia ejus erit excusata: et ita Cassius scripsit. Aliter atque si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur: hic enim si pecora vel demortua sunt, vel etiam deteriora facta, quod interest præstabitur, si scisti: si ignorasti, pensionem non petes: et ita Servio, Labeoni, Sabino placuit. — § 2. Illud nobis videndum est, si quis fundum locaverit, quæ soleat *instrumenti* nomine conductori præstare: quæque si non præstet, ex locato teneatur? Et est epistola Neratii ad Aristonem, doli utique colono esse præstanda, et prælum et trapetum, instructa funibus: si minus, dominum instruere ea debere: sed et prælum vitiatum dominum reficere debere: quod si culpa coloni quid eorum corruptum sit; ex locato eum teneri. Fiscos autem quibus ad præmendam oleam utimur, colonum sibi parare debere [Neratii scripsit]: quod si regulis olea prematur, et prælum, et sulcam, et regulas, et tympanum, et trochleas, quibus relevatur prælum, dominum parare oportere: item aenum, in quo olea calda aqua lavatur, ut cætera vasa olearia, dominum præstare oportere, sicuti doli vinaria: [quæ] ad præsentem usum colonam picare oportebit. Hæc omnia sic sunt [accipienda], nisi si quid aliud specialiter actum sit. — § 3. Si dominus exceperit in locatione, ut *frumentum certo modum certo pretio acciperet*, si dominus nolit frumentum accipere, neque pecuniam ex mercede deducere: potest quidem totam summam ex locato petere, sed utique consequens est existimare, officio iudicis hoc convenire, habere rationem, quando conductoris intererat, in frumento potius, quam in pecunia solvere pensionis exceptam portionem. Simili modo, et si ex conducto agatur, idem erit dicendum. — § 4. Si inquilinus ostium vel quædam alia ædificia adiecerit, quæ actio locum habeat? Et est verius, quod Labeo scripsit, competere ex conducto actionem, ut ei *tolle liceat*: sic tamen, ut damni infecti caveat, ne in aliquo dum aufert, deteriorem causam ædium faciat, sed ut pristina faciem ædibus reddat. — § 5. Si inquilinus arcam æratam in ædes contulerit, et ædium aditum coangustaverit dominus, verius est, ex conducto eum teneri, et ad exhibendum actione, sive scit, sive ignoraverit: officio enim iudicis continetur, ut cogat eum, aditum et facultatem inquilino præstare ad arcam tollendam, sumptibus scilicet locatoris. — § 6. Si quis, cum in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit, deinde insula post sex menses ruerit vel incendio consumpta sit, pensionem residui temporis, rectissime Mela scripsit, ex conducto actione repetituram³⁰: non quasi indebitum conducturum: non enim per errorem dedit plus, sed ut sibi in causam conductionis proficeret: aliter atque si quis cum decem conduxisset, quindecim solverit; hic enim, si per errorem solvit, dum putat se quindecim conduxisse, actionem ex conducto non habebit, sed solam conditionem: nam inter eum qui per errorem solvit, et eum qui pensionem integram prorogavit, multum interest. — § 7. Si quis mulierem vehendam navi conduxisset, deinde in nave infans natus fuisset, probandum est, pro infante nihil deberi: cum neque vectura ejus magna sit, neque is omnibus utatur, quæ ad navigantium usum parantur. — § 8. Ex conducto actionem etiam ad³¹ heredem transire palam est. — § 9. Cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde is qui eas conduxerat, decessisset, imperator Antoninus cum divo Severo rescripsit ad libellum exceptoris, in hæc verba: *Cum per te non stitisse proponas, quo minus locatas operas Antonio Aquile solveres, si eodem anno mercedem ab alio non accepisti, fidem contractus impleri æquum est.* — § 10. Papinianus quoque lib. 4 Responsorum scripsit: Diem functo legato Cæsaris, salarium comitibus residui³² temporis præstandum: modo si non postea comites cum aliis eodem tempore fuerint.

20. *Paulus*, lib. 34, ad Edictum.

Sicut emptio³³, ita et locatio, sub conditione fieri potest. — § 1. Sed donationis³⁴ causa contrahi non potest. — § 2. Interdum locator non

7, C. arbit. tutel. — ²⁹ L. 6, § 4, supr. de act. empt. — ³⁰ L. 50, § 1, inf. h. l. — ³¹ L. 10, L. 29, L. 34, C. cod. — ³² L. 4, supr. de offic. assessor. — ³³ § 4, Inst. de empt. vend. — ³⁴ L. 46, inf. h. l.

obligatur, conductor obligatur, veluti cum emptor fundum conducit, donec³⁵ pretium ei solvat.

21. *Javolenus*, lib. 11 Epistolarum.

Cum venderem fundum, convenit, ut donec³⁶ pecunia omnis persolveretur, certa mercede emptor fundum conductum haberet: an soluta pecunia, merces accepta fieri debeat? Respondit, bona fides exigat, ut, quod convenit³⁷, fiat: sed non amplius præstat is venditori, quam pro portione ejus temporis, quo pecunia numerata non esset.

22. *Paulus*, lib. 34, ad Edictum.

Item si pretio non soluto, inempta res facta sit, tunc ex locato erit actio. — § 1. Quotiens autem faciendum aliquid datur, locatio est. — § 2. Cum insulam ædificandam loco, ut sua impensa conductor omnia faciat, proprietatem quidem eorum ad me transfert, et tamen locatio est: locat enim artifex operam suam, id est, faciendi necessitatem. — § 3. Quemadmodum in emendo et vendendo naturaliter³⁸ concessum est, quod pluris sit, minoris emere: quod minoris sit, pluris vendere, et [ita] invicem se circumscribere; ita in locationibus quoque et conductionibus juris est.

23. *Hermogenianus*, lib. 2 juris Epitomarum.

Et ideo, prætextu minoris³⁹ pensionis, locatione facta, si nullus doli adversarii probari possit, rescindi locatio non potest.

24. *Paulus*, lib. 34, ad Edictum.

Si in lege locationis comprehensum sit, ut *arbitratu domini opus adprobretur*, perinde habetur, ac si viri⁴⁰ boni arbitrium comprehensum fuisset: idemque servatur, si alterius iudicis arbitrium comprehensum sit: nam fides bona exigit, ut arbitrium tale præstetur, quale viro bono convenit: idque arbitrium ad qualitatem operis, non ad prorogandum tempus quod lege finitum sit, pertinet: nisi idipsum lege comprehensum sit. Quibus consequens est, ut irrita sit adprobatio doli conductoris facta, ut ex locato agi possit. — § 1. Si colonus locaverit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur: sed fructus⁴¹ in causa pignoris manent, quemadmodum esset, si primus colonus eos percipisset. — § 2. Si domus vel fundus in *quinquennium pensionibus* locatus sit, potest dominus, si deseruerit⁴² habitationem vel fundi culturam colonus vel inquilinus, cum eis statim agere. — § 3. Sed et de his, quæ præsentis die præstare debuerunt, (velut opus aliquid efficerent, propagationes facerent), agere similiter potest. — § 4. Colonus, si ei frui non liceat, totius quinquennii nomine statim recte agat, etsi reliquis annis dominus frui patitur: nec enim semper liberabitur dominus, eo quod secundo vel tertio anno patietur fundo frui: nam et qui expulsus a conductione, in aliam se coloniam contulit, non suffectur duobus, neque ipse pensionum nomine obligatus erit: et quantum per singulos annos compendii⁴³ facturus erat, consequetur: sera est enim patientia fruendi, quæ offertur eo tempore, quo frui colonus, aliis rebus illigatus, non potest. Quod si paucis diebus prohibuit, deinde penitentiam agit, omniaque colono in integro sunt, nihil ex obligatione, paucorum dierum mora minuet. Item utiliter ex conducto agit is, cui secundum conventionem non præstantur, quæ conveniant: sive prohibeatur frui a domino, vel ab extraneo, quem dominus prohibere⁴⁴ potest. — § 5. Qui in plures annos fundum locaverat, testamento suo damnavit heredem, ut *conductorem liberaret*⁴⁵: si non patietur heres eum relicto tempore frui, est ex conducto actio: quod si patietur, nec mercedem remittat, ex testamento tenetur.

25. *Gaius*, lib. 10, ad Edictum provinciale.

Si merces promissa sit generaliter *alieno arbitrio*, locatio et conductione contrahi non videtur: sin autem *quanti Titius*⁴⁶ aestimaverit, sub hac conditione stare locationem, ut si quidem ipse qui nominatus est, mercedem definiat, omnimodo secundum ejus estimationem et mercedem persolvat oporteat, et conductionem ad effectum pervenire: sin autem ille vel noluerit⁴⁷ vel non poterit mercedem definire, tunc pro nihilo esse conductionem, quasi nulla mercede statuta. — § 1. Qui fundum fruendum vel habitationem alicui locavit, si aliqua ex causa fundum vel ædes vendat, curare debet, ut apud emptorem quoque eadem pactione et colono frui et inquilino habitare liceat: alioquin⁴⁸ prohibitus is agat cum eo ex conducto. — § 2. Si, vicino ædificante, obscuratur lumina cœnacula,

³⁵ L. 21, inf. cod. — ³⁶ L. 20, § 2, ult. supr. cod. — ³⁷ L. 11, § 1, supr. de act. empt. — ³⁸ L. 1, in pr. supr. de pact. — ³⁹ L. 16, § 4, supr. de minor. l. 8, circa med. C. de rescind. vend. — ⁴⁰ L. 21, C. h. l. — ⁴¹ L. 76, supr. pro socio: L. 7, in pr. supr. de contrah. empt. — ⁴² L. 75, in pr. inf. de legat. 1. — ⁴³ L. 33, inf. h. l. — ⁴⁴ L. 27, in fin.: L. 55, in fin. inf. cod. — ⁴⁵ L. 18, supr. l. 30, in fin. pr.; L. 33, in fin. inf. cod. — ⁴⁶ d. L. 55, in fin. — ⁴⁷ L. 16, inf. de liberat. legat. — ⁴⁸ L. ult. C. de contrah. empt. — ⁴⁹ L. 44, inf. de verb.

teneri locatorem inquilino, certe, quin liceat colono vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio est. De mercedibus quoque, si cum eo agatur, reputationis ratio habenda est. Eadem intelligimus, si ostia fenestrasve nimium corruptas locator non restituat. — § 3. Conductor omnia secundum⁴⁹ legem conductionis facere debet; et ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat, ne in-temperativa cultura deteriorem fundum faceret: præterea villarum curam agere debet, ut eas incorruptas⁵⁰ habeat. — § 4. Culpa autem ipsius et illud adnumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores exciderit. — § 5. Ipse quoque si exciderit, non solum ex locato⁵¹ tenetur, sed etiam lege Aquilia, et ex lege duodecim tabularum *arborum furim cesarum*, et interdicto *quod vi aut clam*: sed⁵² utique iudicis, qui ex locato judicat, officio continetur, ut cæteras actiones locator omittat. — § 6. *Vis major*, quam Græci *Θεῶν βίβη*, id est, *vim divinam* appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus quam tolerabile est, hesi fuerint fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non auferitur. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin partarius colonus, quasi societatis jure, et damnum et lucrum cum domino fundi partitur. — § 7. Qui columnam transportandam conduxit, si eadem tollitur aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumque quorum opera uteretur, culpa acciderit: culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus⁵³ quisque observaturus fuisset. Idem scilicet intelligimus et, si doli vel tignum transportandum aliquis conduxerit. Idemque etiam ad cæteras res transferri potest. — § 8. Si fullo aut sarcinator vestimenta⁵⁴ perdidit, eoque nomine domino satisfecerit, necesse est domino vindicationem eorum et conductionem cedere.

26. *Ulpianus*, lib. 2 Disputationum.

In operis duobus simul locatis, convenit priori conductori ante satisfieri.

27. *Alfenus*, lib. 2 Digestorum.

Habitatores non, si paulo minus commode aliqua parte cœnacula uterentur, [satis] deductionem ex mercede facere oportet: ea enim conditione habitatores esse, ut, si quid transversarium incidisset, quam-obrem dominum aliquid demoliri oporteret, aliquam partem parvulum incommodi sustineret: non ita tamen, ut eam partem cœnacula dominus aperuisset, in qua magnam partem usus habitator haberet. — § 1. *Iterum interrogatus [est]*, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem, necne? Respondit: Si causa⁵⁵ fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris justa non⁵⁶ fuisset, nihilominus debere.

28. *Labeo*, lib. 4 posteriorum Epitomarum a Javoleno.

Quod si domi habitatione conductor æque usus fuisset, præstaturum. — § 1. Etiam ejus domus mercedem, quæ vitium fecisset, [deberi] putat. — § 2. Idem juris esse, si potestatem conducendi habebat, ut pretium conductionis præstaret. Sed si locator conductori potestatem conducendæ domus non fecisset, et is in qua habitaret, conduxisset, tantum ei præstandum putat, quantum sine dolo malo præstitisset. Cæterum, si gratuitam habitationem habuisset, pro portione⁵⁷ temporis ex locatione domus deducendum esse.

29. *Alfenus*, lib. 7 Digestorum.

In lege locationis scriptum erat, *redemptor silvam ne cadito, neve cingio*⁵⁸, *neve deurito, neve quem cingere, cadere, urere sinito*: quereretur, utrum redemptor, si quem quid eorum rerum facere vidisset, prohibere deberet; an etiam ita silvam custodire, ne quis id facere possit? Respondi, verbum *sinito* utramque habere significationem: sed locatorem potius id videri voluisse, ut redemptor non solum, si quem casu vidisset silvam cadere, prohiberet; sed uti curaret et daret operam, ne quis caderet.

30. *Idem*, lib. 3 digestorum a Paulo Epitomarum.

Qui insulam trigenta conduxerat, singula cœnacula ita [conduxit] ut quadraginta ex omnibus colligerentur: dominus insulæ, quia ædificia vitium facere diceret, demolierat eam: quassitum est, quanti lis aestimari deberet, si is qui totam conduxerat, ex conducto ageret? Respondit, si

oblig. — ⁴⁸ L. ult. vers. Papinianus inf. de jure fisci. — ⁴⁹ L. 19, C. § 5, Inst. h. l. — ⁵⁰ L. 11, § 2, supr. cod. — ⁵¹ L. 9, inf. arbor. furt. cesar. — ⁵² L. 43, inf. h. l. — ⁵³ § 2 pen. Inst. de locatione, *in fine* L. 5, § 1, supr. Inst. de contrah. empt. — ⁵⁴ L. 5, § 2, supr. commo-dat. — ⁵⁵ L. 60, § 2, inf. h. l. — ⁵⁶ L. 25, inf. de damn. infect. — ⁵⁷ L. 55, in fin. inf. h. l. — ⁵⁸ L. 30, § 1, inf. cod. — ⁵⁹ L. 5, in pr. inf. arbor. furtim cesar.

vitium aedificium necessario⁵⁹ demolitus esset, pro portione, quanti dominus praediorum locasset, quod ejus temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci, et tanti litem aestimari: sin autem non fuisset necesse demoliri, sed, quia melius aedificare vellet id fecisset, quanti⁶⁰ conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere. — § 1. Aedilis in municipio balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur: post tres menses incendio facto, respondit posse agi cum balneatore ex conducto, ut pro portione⁶¹ temporis, quo lavationem non praestitisset, pecuniae contributio fieret. — § 2. Qui mulas ad certum pondus oneris locaret, cum majore onere conductor eas rupisset, consulebat de actione? Respondit, vel lege Aquilia, vel ex locato recte eum agere: sed lege Aquilia tantum cum eo agi posse, qui tum mulas agitasset: ex locato, etiam si alias eas rupisset, cum conductore recte agi. — § 3. Qui aedem faciendam locaverat, in lege dixerat: Quoad in opus lapidis [opus] erit, pro lapide et manupretio dominus redemptori in pedes singulos septem dabit: quassitum est, utrum factum opus, an etiam imperfectum, metiri oporteret? Respondit, etiam imperfectum. — § 4. Colonus villam hac lege acceperat, ut incorruptam redderet, praeter vim et vetustatem: coloni servus villam incendit, non fortuito casu: non videri eam vim exceptam respondit: nec id pactum esse, ut si aliquis domesticus eam incendisset, ne praestaret, sed extrinsecam vim utrosque excipere voluisse.

51. Idem, lib. 8 Digestorum a Paulo Epitomatorum.

In navem Saufeei cum complures frumentum confunderant, Saufeeus uni⁶² ex his frumentum reddiderat de communi, et navis perierat: quaesitum est, an ceteri pro sua parte frumenti, cum nauta agere possunt oneris avari actione? Respondit, rerum locatarum duo genera esse: ut aut idem redderetur, sicuti cum vestimenta fulloni curanda locarentur: aut ejusdem generis [redderetur], veluti cum argentum pusullatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum, ut annuli: ex superiore causa rem domini manere: ex posteriore, in⁶³ creditum iri. Idem juris esse in deposito: nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clusam, neque obsignatam traderet, sed adnumeraret, nihil a iud eum debere, apud quem deposita esset, nisi tantundem pecuniae solveret: secundum quae videri triticum factum Saufeei, et recte datum. Quod si separatim tabulis, aut heronibus, aut in alia culpa clusum uniuscujusque triticum fuisset, ita ut internosci posset quid cuiusque esset, non potuisse nos permutationem facere, sed tum posse eum cuius fuisset triticum, quod nauta solvisset, vindicare: et ideo se improbare actionem oneris avari: quia sive ejus generis essent merces, quae nauta traderentur, ut continuo ejus fierent, et mercator in creditum iret, non videretur onus esse aversum, quippe quod nota fuisset: sive eadem res quae tradita esset, reddi deberet, furti esse actionem locatori, et ideo supervacuum esse iudicium oneris avari. Sed si ita datum esset, ut in simili re solvi possit, conductorem culpam duntaxat debere: nam in re, quae utriusque causa contraheretur, culpam deberi, neque omnimodo culpam esse, quod uni reddidisset ex frumento, quoniam alicui primum reddere eum necesse fuisset, tametsi meliorem ejus conditionem faceret, quam ceterorum.

52. Julianus, lib. 4, ex Minicio.

Qui fundum colendum in plures annos locaverat, decessit: et eum fundum legavit: Cassius negavit posse cogi colonum, ut eum fundum coleret, quia nihil heredis interesset: quod si colonus vellet colere, et ab eo cui legatus esset fundus, prohiberetur, cum herede⁶⁴ actionem colonum habere, et hoc detrimentum ad heredem pertinere: sicuti si quis rem quam vendidisset, necdum tradidisset, alii legasset, heres ejus emptori et legatario esset obligatus.

53. AFRICANUS, lib. 8 Quaestionum.

Si fundus quem mihi locaveris, publicatus sit, teneri te actione ex conducto, ut mihi frui liceat, quamvis per te non stet, quo minus id praestes: quemadmodum, inquit, si insulam aedificandam locasses, et solum corruiisset, nihilominus teneris: nam et si vendideris mihi fundum, ipse prius, quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto: quod hactenus verum erit, ut pretium restituas, non ut etiam id praestes, si quid pluris mea intersit, eum vacuum mihi tradi. Similiter igitur et circa conductionem servandum puto, ut mercedem quam praestiterim restituas, ejus scilicet temporis, quo fructus non fuerim: nec ultra actione ex conducto praestare cogaris. Nam et si colonus tuus fundo frui a te aut ab eo prohibetur quem tu prohibere⁶⁵ ne id faciat possis,

59. L. 3, C. h. t. — 60. L. 24, § 4, supr.; L. 33, in fin. infr. eod. — 61. L. 28, in fin. supr. eod. — 62. L. ult. C. depositi. — 63. Inno vide l. 29, infr. h. t. — 64. L. 120, in fin. infr. de legat. 1. — 65. L. 24, § 4, in fin. supr. h. t. — 66. L. 30, in pr. supr. eod. — 67. L. 24, § 4, supr. eod. — 68. L. 20, infr. de reg. jur. — 69. L. 25, supr. communi divid. — 70. L. 59, in

tantum ei praestabis, quanti⁶⁶ ejus interfuerit frui: in quo etiam lucrum ejus continebitur⁶⁷: sin vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus non⁶⁸ poteris, nihil amplius ei quam mercedem remittere, aut reddere debebis.

54. GAIUS, lib. 10, ad Edictum provinciale.

Perinde ac latronum incursu id acciderit.

55. AFRICANUS, lib. 8 Quaestionum.

Et haec distinctio convenit illi, quae a Servio introducta, et ab omnibus fere probata est, ut, si aversione insulam locatam dominus reficiendo, ne ea conductor frui possit, effecerit, animadvertatur, necessario nec ne id opus demolitus est: quid enim interest, utrum locator insulae propter vetustatem cogatur eam reficere, an locator fundi cogatur ferre injuriam ejus quem prohibere non possit? intelligendum est autem, nos hac distinctio uti de eo, qui et suum praedium fruendum locaverit, et bona fide negotium contraxerit: non de eo qui alienum praedium per fraudem locaverit, nec resistere domino possit, quominus is colonum frui prohibeat. — § 1. [Cum] fundum communem habuimus, et inter nos convenit, ut alternis annis certo pretio eum conductum haberemus: tu, cum tuus annus exiturus esset, consulto fructum insequentis anni corrupisti⁶⁹: agam tecum duabus actionibus, una ex conducto, altera ex locato: locati enim iudicio mea pars propria, conducti autem actione tua duntaxat propria in iudicium venient. Deinde ita nota: nonne, quod ad meam partem attinebit, communi dividendo praestabitur a te mihi damnum? Recte quidem [notat:] sed tamen etiam Servii sententiam veram esse puto; cum eo scilicet, ut, cum alterutra actione rem servaverim, altera perimatur. Quod ipsum simpliciter ita quaeremus, si proponatur inter duos, qui singulos proprios fundos habent, convenisse, ut alter alterius ita conductum haberet, ut fructus mercedis nomine pensarentur.

56. FLORENTINUS, lib. 7 Institutionum.

Opus, quod aversione locatum est, donec adprobetur, conductoris periculum est. Quod vero ita conductum sit, ut in pedes, mensurasve praestetur, eatenus conductoris periculo est, quatenus admenum non sit: et in utraque causa nociturum locatori, si per eum steterit, quominus opus adprobetur, vel admetiatur. Si tamen vi majore opus prius intercederit, quam adprobaretur, locatoris⁷⁰ periculo est: nisi si aliud actum sit: non enim amplius praestari locatori oporteat, quam quod sua cura atque opera consequutus esset.

57. JAVOLENUS, lib. 8, ex Cassio.

Si prius quam locatori opus probaretur, vi aliqua consumptum est, detrimentum ad locatorem ita pertinet, si⁷¹ tale opus fuit, ut probari deberet.

58. PAULUS, lib. singul. Regularum.

Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per⁷² eum non stetit, quominus operas praestet. — § 1. Advocati quoque, si per eos non steterit, quominus causam agant, honoraria reddere non debent.

59. ULPIANUS, lib. 2, ad Edictum.

Non solet locatio dominium mutare⁷³.

60. GAIUS, lib. 5, ad Edictum provinciale.

Qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei, is hujus periculum custodiae praestat.

61. ULPIANUS, lib. 5, ad Edictum.

Sed de damno ab alio dato agi cum eo non posse, Julianus ait: Qua⁷⁴ enim custodia consequi potuit, ne damnum injuria ab alio dari possit? Sed Marcellus interdum esse posse ait, sive custodiri potuit, ne damnum daretur, sive ipse custos damnus dedit: quae sententia Marcelli probanda est.

62. PAULUS, lib. 13, ad Edictum.

Si locatum⁷⁵ tibi servum subripias, utrumque iudicium adversus te est exercendum, locati [actionis], et furti.

63. Idem, lib. 21, ad Edictum.

Si vulneraveris⁷⁶ servum tibi locatum, ejusdem vulneris nomine, legis Aquiliae, et ex locato actio est: sed alterutra contentus actor esse debet: idque officio iudicis continetur, apud quem ex locato agetur.

fin. infr. h. t. — 71. L. 36, supr.; L. ult. infr. eod. — 72. L. 24, infr. de conduct. et demonstr. — 73. Excep. l. 21, § 2; L. 51, supr. h. t. — 74. L. 19, supr. commutati. — 75. L. 34, § 2, infr. de oblig. et act. — 76. L. 25, § 5, supr. h. t.; L. 27, § 11, supr. ad leg. Aquil.

44. ULPIANUS, lib. 7, ad Edictum.

Locare servitutum⁷⁷ nemo potest.

45. PAULUS, lib. 23, ad Edictum.

Si domum tibi locavero, et servi mei tibi damnus dederint, vel furtum fecerint, non teneor tibi ex conducto, sed noxali actione. — § 1. Si hominem tibi locavero, ut habeas in taberna, et is furtum fecerit, dubitari potest, utrum ex conducto⁷⁸ actio sufficiat, quasi longe sit a bona fide [actum], ut quid patiaris detrimenti per eam rem quam conduxisti: an adhuc dicendum sit, extra causam conductionis esse furti crimen: et in propriam persecutionem cadere hoc delictum? Quod magis est.

46. ULPIANUS, lib. 69, ad Edictum.

Si quis conduxerit⁷⁹ nummo uno, conductio⁸⁰ nulla est: quia et hoc donationis⁸¹ instar inducit.

47. MARCELLUS, lib. 6 Digestorum.

Cum apparebit emptorem conductoremve pluribus vendentem⁸², vel locantem⁸³, singulorum in solidum intuitum personam: ita demum ad praestationem partis singuli sunt compellendi, si constabit esse omnes solvendo: quamquam fortasse justius sit, etiamsi solvendo omnes erunt, electionem⁸⁴ conveniendi quem velit, non auferendam actori, si actiones suas adversus ceteros praestare non recuset.

48. Idem, lib. 8 Digestorum.

Si cui locaverim faciendum, quod⁸⁵ ego conduxeram, constabit habere me ex locato actionem. — § 1. Qui servum conductum, vel aliam rem [non immobilis] non restituit, qui tantum in litem juratum fuerit, damnabitur.

49. MODESTINUS, lib. 6 Excusationum.

Οἱ ἐπιτροπὸι γενόμενοι, ἢ κουράτορες, πρὶν ἐκτίσαι τὰ τῆς κληρονομίας, μισθωτὰ Καίσαρος γενέσθαι κολωνοῦντας, κἄν τις ἀπικρυψάμενος τούτο, πρὶσθῆ τῇ μισθώσει τὸν τοῦ Καίσαρος χωρίον, ὡς παραπινύσας κολάζεται. Τούτο ἐκίλευσεν ὁ ἀνοκράτωρ Σεβήρος. — § 1. Κατὰ ταῦτα δὲ οἱ χειρίζοντες ἐπιτροπίας, ἢ κουρατορίας εἰσὶν κεκολλημένοι μισθωθῆναι, καὶ παρὰ τοῦ ταμίου χωρία. Id est: Tutores curatoresve constituunt, prius⁸⁶ quam officii sui rationes reddant, prohibentur ne quid de patrimonio Caesaris conductum habeant ac si quis id dissimulans, nihilominus ad conducenda Caesaris praedia accesserit, perinde ut falsarius poena afficiatur. Hocque sanxit imperator Severus. — § 1. Secundum quae sane prohibiti erant et a fisco conducere, qui tutelam curamve gerunt.

50. Idem, lib. 10 Pandectarum.

Si ignorans quis militi⁸⁷ quasi pagano locaverit, exigere illum posse probandum est: non enim contemnit disciplinam, qui ignoravit militem.

51. JAVOLENUS, lib. 11 Epistolarum.

Ea lege fundum locavi, ut si non ex lege coleretur, rebocare eum mihi liceat: et quo minor locassem, hoc mihi praestaretur: [nec convenit, ut, si pluris locassem, hoc tibi praestaretur:] et cum nemo fundum colebat, pluris tamen locavi: quaero, an hoc ipsum praestare debeam? Respondit: In huiusmodi obligationibus id maxime spectare debemus, quod inter utramque partem convenit: videtur autem in hac specie id silentio convenisse, ne quid praestaretur, si ampliore pecunia fundus esset locatus: id est, ut haec ex conventionem pro locatore tantummodo interponeretur. — § 1. Locavi opus faciendum, ita ut pro opere redemptori certam mercedem in dies singulos darem: opus vitiosum factum est: an ex locato agere possim? Respondit: Si ita opus locasti, ut bonitas ejus tibi a conductore approbaretur, tametsi convenit, ut in singulas operas certa pecunia daretur, praestari tamen tibi a conductore debet, si id opus vitiosum factum est: non enim quidquam interest, utrum uno pretio opus, an in singulas operas collocatur: si modo universitas consummationis ad conductorem pertinuit: poterit itaque ex locato cum eo agi, qui vitiosum opus fecerit: nisi [sido] in operas singulas merces constituta erit, ut arbitrio domini opus efficeretur: tum enim nihil conductor praestare domino de bonitate operis videtur.

52. POMPONIUS, lib. 31, ad Quintum Mucium.

Si decem tibi locem fundum, tu autem existimes quinque te conducere, nihil agitur. Sed et si ego minoris me locare sensero, tu pluris te conducere, utique non pluris erit conductio, quam [quanti] ego putavi.

77. Inno vide l. 12, § 2, supr. de usufr., § 1, in fin., § 5, in fin. Inst. de usu et habit. — 78. Adde l. 34, § 7, supr. de servo corrupti. — 79. L. 10, in fin. infr. de acquir. vel amittend. possess. — 80. Vide Inno l. 66, infr. de iure dotium. — 81. L. 10, § 1, supr. h. t. — 82. L. 9, in pr. infr. de duob. reis consti. — 83. L. 15, § 3, supr. h. t. — 84. Arg. d. N. 99, c. 1. — 85. L. 38, § 21, infr. de verb. oblig. — 86. L. 1, § 2, infr. ad leg. Corn. de falsis. L. in. C. ne tut. vel eurat. veetig. conduc. — 87. L. 31, C. h. t. — 88. L. 24, § 1, supr. eod. — 89. l. 49,

53. PAPINIANUS, lib. 11 Responsorum.

Qui fidejussor exiitit apud mancipem pro colono publicorum praediorum, quae manceps ei colono locavit, reipublicae non tenetur: sed fructus⁸⁸ in eadem causa pignoris manent.

54. PAULUS, lib. 5 Responsorum.

Quaero, an fidejussor conductionis, etiam in usuras, non illatarum pensionum nomine teneatur: nec prosint ei constitutiones, quibus cavetur, eos qui pro aliis pecuniam exsolvunt, sortis solummodo damnum agnoscere oportere? Paulus respondit, si in omnem causam conductionis etiam fidejussor se obligavit, eum quoque, exemplo coloni tardius illatarum per moram coloni pensionum praestare debere usuras: usurae enim in bonae fidei iudiciis etsi non tam ex obligatione proficiuntur, quam ex officio⁸⁹ iudicis applicentur; tamen cum fidejussor in omnem causam se applicuit, aequum videtur ipsum quoque agnoscere onus usurarum, ac si ita fidejussisset, in quantum illius condemnare ex bona fide oportebit, tantum fide tua esse jubes? vel ita, indemnem me praestabis? — § 1. Inter locatorem fundi, et conductorem convenit, ne intra tempora locationis Seius conductor de fundo inivius repelleretur: et si pulsatus esset, penam decem praestet Titius locator Seio conductori: vel Seius conductor Titio, si intra tempora locationis discedere velle, aequo decem Titio locatori praestare velle: quod invicem de se stipulati sunt: quaero, cum Seius conductor biennii⁹⁰ continui pensionem non solveret, an sine metu penae expelli possit? Paulus respondit: quamvis nihil expressum sit in stipulatione penali de solutione pensionum, tamen verisimile esse, ita convenisse de non expellendo colono intra tempora praefinita, si pensionibus paruerit, et, ut oportet, coleret: et ideo si penam petere coeperit is, qui pensionibus satis non fecit, profuturam locatori doli exceptionem. — § 2. Paulus respondit, servum, qui aestimatus⁹¹ colonae adscriptus est, ad periculum colonae pertinere: et ideo aestimationem hujus defuncti ab herede colonae praestari oportere.

55. Idem, lib. 2 Sententiarum.

Dominus horreorum, effractis⁹² et compilatis horreis, non tenetur, nisi⁹³ custodiam eorum recepit: servi tamen ejus, cum quo contractum est, propter aedificiorum notitiam in questionem peti possunt. — § 1. In conducto fundo, si conductor sua opera aliquid necessario vel utiliter auxerit⁹⁴, vel aedificaverit, vel instituerit, cum id non convenisset, ad recipienda ea quae impendit, ex conducto cum domino fundi experiri potest. — § 2. Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine⁹⁵ justa ac probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, quatenus locatori in id, quod ejus interest, indemnitas servetur.

56. Idem, lib. singul. de officio Praefecti vigilum.

Cum domini horreorum insularumque desiderant, diu non apparentibus, nec ejus temporis pensiones exsolventibus conductoribus, aperire, et ea quae ibi sunt, describere, a publicis personis, quorum interest, audiendi sunt: tempus autem in huiusmodi re biennii⁹⁶ debet observari.

57. JAVOLENUS, lib. 9, ex posterioribus Labconis.

Qui domum habebat, aream injunctam ei domui vicino proximo locaverat: is vicinus, cum aedificaret in suo terram in eam aream amplius quam fundamenta caementitia locatoris erant, concessit, et ea terra adsiduis pluvis inundata, [ita] parietis ejus qui locaverat humore praestituto [malefacto], aedificia corruerunt: Labeo ex locato tantummodo actionem esse ait, quia non ipsa congestio, sed humor ex ea congestione postea damno fuerit: damni autem injuriae actio ob ea ipsa sit, per qua non extrinsecus alia causa oblata damno quis adfectus est. Hoc proba.

58. LABEO, lib. 4 posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

Insulam uno pretio totam locasti, et eam vendidisti, ita ut⁹⁷ emptori mercedes inquilinorum acciderent. Quamvis eam conductor majore pretio locaret, tamen id emptori accedit, quod tibi conductor debeat. — § 1. In operis locatione erat dictum, antequam diem officii deberet: deinde, si ita factum non esset, quamvis locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat. Eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de spatio temporis aestimasset: quia id actum apparere esse, ut eo⁹⁸ spatio absolveretur, sine quo fieri non possit. — § 2. Quidam in municipio balineum praestandum annuis viginti nummis conduxerat: et ad refectioem fornacis fistularum, similiumque re-

in fin. supr. de act. empt. — 90. L. 56, in fin. infr. h. t. — 91. L. 5, supr. eod. — 92. l. 1, l. 4, C. eod. — 93. L. 60, in fin. infr. eod. — 94. L. 19, § 4; L. 61, in pr. infr. eod. — 95. L. 24, § 2, supr. eod. — 96. l. 54, § 1, supr. eod. adde N. 7, c. 5, § 2, N. 120, c. 8, et Auth. qui rem. C. de sacros. eccles. — 97. L. 53, in pr. supr. de act. empt. — 98. L. 14, l. 157, § 5, infr. de verb. oblig.